


F

Anf.



DISPUTATIONUM THEOLOGICARUM
 NONA
 DE
PERSONA
CHRISTI
QVAM
 ADSISTENTE DEI OPT. MAX. GRATIA
 PRÆSIDE
FRID. ULRICO CALIXTO
S. Theol. D. ejusdemque in Acad.
 Julia Publ. & Ordin. Professi. Consil. Eccles.
 Guelphico.
 PUBLICE IN ACAD. JULIA.
 die III. Sept.
TUEBITUR,
CASPAR JUSTUS WIECHMAN
 HILDESIENSIS.



HELMSTADII,
 Typis JACOBI MULLERI Anno 1679.



Sūr T̄w Cē

TH. I.



Ine dūbiō magnum est pietatiū mysterium, quod Deus
conspicuus factus est in carne 1. Tim. III, 16. Ita autem
sermo ille factus est caro Joh. 1, 14. sive ut ecclesia loqui-
tur, incarnatus vel inhumanatus est, ut supervenerit in
B. Virginem Spiritus sanctus, & virtus altissimi in-
umbraverit eam, Lucæ 1, 15.

II. Productio igitur humanae naturae, & effectiva ejus unitio sive
conjunction cum Divinâ est utraque opus ad extra commune toti SS.
Trinitati. Assumptio verò ad propriam hypostasin opus est ad intra soli
τῷ λόγῳ proprium.

III. Assumptionem autem hanc ad Divinam naturam non prae-
cessit illius productio, sed sunt Divinae hæ actiones tempore simul, & est
humana natura ipso productionis momento Divinae unita, atque ab
hac adsumpta.

IV. Totum altissimi hujus mysterii arcanum in eo est situm, quod
secunda trinitatis persona, unigenitus Dei Filius, in plenitudine tempo-
ris naturam humanam, non cœlitus delapsam, sed è B. Virginis sub-
stantiâ ad propriam hypostasin adsumpsit, eamque singularem sive in-
dividuam, veram, integrā sive totam, quæ termino ultimo in genere
substantiæ, quem subsistentiam vocamus, licet fuerit destituta, actuali-
tamen existentiâ nostræ naturæ θυρασι, habuerit omnes proprietates
vires & appetitiones naturæ proprias & ordinatas, minimè verò inor-
dinatas & vitiosas.

V. Nec enim vitiæ naturæ, nec communi humanæ conditioni dan-
dum, quod tempore exinanitionis infirmitates, quæ in nobis pœnæ
peccati sunt, propter nostram salutem Patiendo & moriendo expertus
est Servator. Sponte enim has admisit, quum natura, alias peccati ex-
pers, *santa & impolluta*, eademque non-mortalis, inde à momento
conceptionis statim esset.

VI. Quamvis itaque nulla in Servatore nostro extiterit caussa mor-
tis in genere morum, negare tamen non possumus habuisse aliquam
mortis causam remotam in genere naturæ, atque naturam ejus huma-
nam sibi relictam, (quod tamen facere Deo neque visum, neque digni-
tati

eati personæ Christi congruum fuit) morti fuisse obnoxiam, nisi eadem operâ veram ejusdem humanitatem & corporis ipsius cum nostro *μορφίαν* velimus tollere.

VII. Qualis sit ista duarum in Christo naturarum unio, non est ita obvium. Si tamen consideremus, quod unio illa è vulgarium unionum numero non sit, inveniemus tandem rationem peculiarem in quā illa sit sita.

IX. Non itaque est nuda *πάρεγγαστις*, neque essentialis unio, neq; accidentalis, neque naturalis, sed personalis: non quidem quod persona personæ sit unita, sed quia duæ in essendo completae naturæ sic uniuntur, ut utriusque sit una eademque subsistentia, & sic Christus sit una tantum persona. Neque enim Deus personam, sed naturam humanam in personæ suæ unitatem assumens.

IX. Manifestus ex hisce redditur Nestorii, Eutychisque error, quorum ille rectè tenens duplē in Christo esse naturam, sacrilegè confitetur duas esse personas. Eutyches verò rectè tenens unam esse personam, impie credidit unam quoque esse naturam; verba sunt Severini Boëthii lib. de duabus naturis c. IV.

X. Substantialis illa inter Deum & hominem secundum personam identitas, & unio hypostatica in eodem supposito efficit, ut una natura de alterâ, & utriusque naturæ proprietates de se invicem prædicentur, non quidem vocabulis abstractis, sed concretis, quæ suppositum sive personalitatem in quā convenienter involvunt & connotant.

XI. Veræ igitur sunt hæ enunciationes; *Deus est homo, Deus est creatus, passus, mortuus.* Falsæ autem sunt istæ; *Divinitas est humanitas;* *Humanitas est imparabilis, immortalis.* Et hos loquendi modos Scholastici idiomatum communicationem, quod unius naturæ proprietates alteri in concreto communicentur, appellantur.

XII. Est autem *Idiomatum Communicatio*, quam Græci *ἰδιοποίιαν* appellant, quum vel propria humanæ naturæ de Divinâ, vel Propria Divinæ de humanâ (vocibus concretis,) vel utriusque naturæ proprietates de concreto aliquo personæ prædicantur.

XIII. Non tamen totius personæ prædicata sunt utriusque naturæ proprietates, unde Scriptura, secundum quā naturā proprietas aliqua de personâ prædicetur, adhibitis particulis distinctivis quandoq; insinuat.

XIV. Neque propositiones istæ sunt verbales aut impropriæ, quemadmodum Reformatorū nonnulli docuerunt, sed veræ propriæ & reales.

XV. Hoc communicationis idiomatum genus, solum in scholis usitate

cate & propriè appellatum ita fuit, donec communicationi majestatis & operationum idem nomen tribueretur. Posteriora itaque duo genera, quum inter Nostrates recepta hodie sint, hic non erunt prætereunda.

XVI. Secundum igitur communicationis idiomatum genus constituunt, quando Divina majestas, gloria & potentia humanæ Christi naturæ in abstracto tribuitur; quam *majestatis communicationem* vocant.

XVII. Neque tamen proprietates divinæ humanæ Christi naturæ sic tribuuntur, ac si per se, intrinsecè, & formaliter, formarum inherentium instar, insint, aut quod humanitati à Divinitate per personalem unionem ita, quemadmodum attributa Divina Filio à Patre per æternam generationem, communicentur, sed quia vi unionis hypostaticæ eas possidet, & quia in operando humanitati, tanquam organo divinitati intimè & personaliter unito, utuntur atque per eam sese exserunt.

XIX. Neque enim ex--attributorum personali communicatione, humanitas Christi in se ipsa, aut secundum se, essentialiter, aut per essentiam, proprietate aliquanaturæ facta est omnipotens, omniscia, vivifica, SED QVIA ASSUMTA HUMANITAS, ATTRIBUTA ILLA DIVINITATIS ΛΟΓΟΥ PERSONALITER SIBI UNITA HABET, ITA UT IN ILLA, ET PER ILLAM OPERATIONES SUAS EXSERANT, sicut de ferro ignito dictum est, *IDEO DICITUR COMMUNIONEM CVM ILLIS HABERE*. Sunt ipsius B Chemnitii nostri totidem verba, quæ leguntur libro de duabus in Christo naturis Capite xxiii. Editionis Lipsiensis Anni MDC p. 162, & Anni MD LXXX, p. 330 ut falsi crimen ipse committat qui loci hujus allegationem per falsi crimen factam esse pertendit.

XIX. Quum autem assumpta humanitas quedam attributa Divinitatis λόγῳ personaliter sibi unita habeat, ita, ut in illa, & per illam operationes nullas exerceant, unde *αὐτοπτικὰ dicuntur*, ideo de assumta humanitate talia attributa vere & immediatè non prædicantur.

XX. Etenim non omne quod humanæ naturæ est communicatum, verè de eadem Prædicari, animæ rationalis exemplum docet, quæ cum omnibus suis proprietatibus corpori est communicata, nec tamen proprietates istæ verè de corpore prædicantur.

XXI. Tertium Communicationis idiomatum genus est, quando nomina officii, redēptionem nostram spectantia, prædicantur de Christo secundum utramque naturam, quando nempe *Redēmтор, Mediатор, Justificator, Salvator, Sacerdos* esse dicitur,

F I N I S.

99 A 6919



56.

Retro. ✓

VDI7




D
I
S
P
T



Farbkarte #13

B.I.G.
Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue



26.
DISPUTATIONUM THEOLOGICARUM
NONA
DE
PERSONA
CHRISTI
QVAM
ADSISTENTE DEI OPT. MAX. GRATIA
PRÆSIDE
FRID. ULRICO CALIXTO
S. Theol. D. ejusdemque in Acad.
Julia Publ. & Ordin. Profess. Consil. Eccles.
Guelphico.
PUBLICE IN ACAD. JULIA
die III. Sept.
TUEBITUR,
CASPAR JUSTUS WIECHMAN
HILDESIENSIS.



HELMSTADII,
Typis JACOBI MULLERI Anno 1679.

